

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(85. Moniales ex lege foundationis, vel ex consuetudine habere posse jus eligendi confessarium ab episcopo approbandum, contra quam sentit hic auctor., n. 4, firmavimus in *Addit.* ad verb. APPROBATIO PRO CONFESSIOIBUS, articul. 3.

(86. Gravis quæstio est an confessarius ordinarius monialium ab episcopo destinatus, et triennio elapso ex peculiari indulto sac. congr. Episc. et Regul. negotiis præfectæ ad alius triennium immediate sequens confirmatus, hoc altero triennio elapso, possit ab ipso episcopo auctoritate ordinaria destinari ad tertium triennium, non secus ac posset, si secundo triennio non fuisset confirmatus a dict. sac. congregatione? Agit de hac quæstione Pellizar., *De monial.* c. 10, sect. 2, subject. 1, num. 172; (87. et negativam opinionem refert cardinalis de Lugo, Baldelli, etc.; affirmativa vero Dianæ, Naldi, etc., cui ipse adhæret: « Concessum, inquit, alicui ob gratiam non est in ejus dispendium retorquendum; neque enim idem contrarios effectus operari potest. » Addit et alias rationes in confirmationem affirmativæ hujus sententiæ, quas videas.

(88. At negativa sententia amplectenda est, ex rescripto sac. congregationis destinatæ ab Innocentio XIII pro causis congregationis Casinensium 26 Februarii 1694 ad dubium quintum, quod refert Monacell., in *Formular.* part. 1, lit. 11, formul. 22, n. 12, tum laudat hic auct. n. 23. (89. Ex hoc enim habetur, quod abbatissa confirmata ex gratia dictæ sacre congregationis ad secundum triennium, eligi nequeat ad tertium triennium, absque dispensatione. « Neque ex hoc sequitur (recte ait add. ad Pelliz., d. c. 7, n. 47, editionis Romanæ ann. 1755) quod favor convertatur in odium, et quod privilegium et gratia principis nihil operaretur supra jus commune; nam aliquid operaretur pro secundo triennio, et pro tertio triennio ea non converteretur in odium. Illa enim regula potissimum valet quando regula, seu privilegium concessum est a principe motu proprio; confirmatio autem abbatissæ pro secundo triennio solet concedi ad instantiam monialium, quæ dum petunt illam, censentur petere secundum naturam, quam habet de jure officium abbatissæ; scilicet ut subsequatur vocatio pro triennio subsequenti. » Cur non idem dicendum de confessario, ut tenet auctor, d. n. 23?

(90. Tametsi agatur de monasteriis exemptis, et regularibus subjectis, ad episcopum pertinet cognoscere, tum approbare, an confessarius regularis debeat pernoctare prope ipsa monasteria ex causa distantie conventuum, ut statuit Alexander VII in constitutione quæ incipit *Felici*.

(91. Vide et alia de confessario præsertim extraordinario monialium apud constitutionem S. M. Benedicti XIV, cui initium est: *Pastoralis cura*.

ARTICULUS VI.

Moniales quoad varia miscellanea ipsas concernentia.

SUMMARIUM.

1. Moniales tenentur publice in choro officium divinum persolvere. — 2. Moniales choro addictæ non obligatæ ex vi regulæ ad divinum officium, si absint a choro, tenentur sub mortali ad horas canonicas privatim recitandas ex consuetudine obligante ad mortale. — 3. Etiam moniales Clarissæ, non obstante constitutione Eugenii IV. — 4. Moniales choristæ propter imperitiam, donec discant expedite legere, iudicio prælatorum, confessariorum, vel abbatissarum, satisfaciunt dicendo officium laicorum. — 5. Insuper moniales choristæ in casu quo ex rationabili causa recitare non possint horas canonicas, satisfaciunt recitando officium sororum laicorum. — 6. Moniales recitando *Confiteor* nihil mutare possunt. — 7. Moniales Clarissæ, et tertii ordinis, sive sint sub cura Fratrum minorum, sive sub ordinariorum, aut aliorum religiosorum cura, possunt uti breviario, vel Patrum conventualium, vel Patrum observantium. — 8. Indulgentiæ concessæ fratibus, eorumque ecclesiis, extenduntur etiam ad moniales, earumque ecclesias, quavis subsint gubernio ordinariorum. — 9. Moniales debent saltem semel singulis mensibus confiteri et sacram Eucharistiam sumere. — 10. Et ad hoc secum multos obligantur sub mortali. — 11. Moniales speciali puritate mentis existentes, et ferventiori spiritu pollentes, possunt a superioribus seu confessariis etiam ad communionem quotidianam admitti. — 12. Nullatenus tamen permitti debet in feria sexta parasceve. — 13. Moniales nequeunt se facere ascribi in societatibus Rosarii, Chordæ, Cincturæ, et hujusmodi. — 14. Episcopi prohibere possunt regularibus, ne absque sua licentia accedant ad ecclesias monialium pro celebrandis ibidem missis. — 15. Regulares non debent inserire pro capellanis in ecclesiis monialium, nisi in casu magna penuriæ sacerdotum sæcularium. — 16. Et si in illis ex dispositione testatoris onus habent celebrandi, onus transfertur ad eorum ecclesias. — 17. Episcopus potest prohibere presbyteris sæcularibus, ne celebrent in ecclesiis monialium exemptarum, et regularibus subjectarum. — 18. Capellanus autem sufficit, quod approbetur a superiore monasterii. — 19. In ecclesiis monialium, non possunt sepeliri cadavera sæcularium absque licentia sacre congregationis, et monialium copulativa. — 20. Licentia sacre congregationis requiritur etiam pro fabricando in ecclesiis monialium sepulcro. — 21. Et concedi solet personis benemeritis, vel cum elemosyna competenti. — 22. Et tunc officium facit parochus usque ad portam ecclesiæ et non ultra. — 23. Nulla adest prohibitio sepeliendi moniales in ecclesia exteriori, ubi est in usu. — 24. Sed ubi non est in usu, debet fieri secreta, de nocte, et cum solo sacerdote, ac ministris necessariis. — 25. Nec non cum licentia superioris. — 26. Et omni casu debent moniales deferre cadaver usque ad portam clausuræ. — 27. Moniales non possunt habere prospectum, nec retinere crates correspondentes in ecclesia presbyterorum sæcularium, sive regularium, et ubi adsint, debent omnino removeri. — 28. Moniales nequeunt uti confessionario pro locutorio. — 29. Nec etiam possunt uti fenestella communionis ad loquendum cum exteris. — 30. Sub tali prohibitione comprehenduntur confessarii etiam regulares cujuscunque ordinis. — 31. Fenestella communionis deservire non potest pro confessionali. — 32. Ibi ministratur chrisma monialibus, et aliis in clausura degentibus. — 33. Item velum profitentibus et consecratio professis. — 34. Alia debet esse semper clausa fenestellis ligneis

interius et exterius. — 35. Debet esse lata palmo integro, alta dimidio. — 36. Et ita restringi, ut non possit ad alium usum deservire. — 37. Clavis fenestellæ communionis debet semper retineri ab abbatissa monasterii. — 38. Collocutorium nullo modo debet esse in secundo plano. — 39. Neque in ecclesia. — 40. Moniales nequeunt uti pro collocutorio rota, vel cratibus in ecclesia existentibus, cum mandato carcerandi illos, qui ibi deprehenderentur in fragranti. — 41. Monialium famuli et famulæ habitantes in mansionibus intra atria monasteriorum tenentur recipere sacramenta ab illis parochis in quorum parochia sita sunt monasteria, et ad dictos parochos spectat eos associare ad sepulturam. — 42. Monialis professio irrita est, quando fit postea hermaphrodita. — 43. Fenestræ particularium claudi debent, si prospectum habent in clausuram monialium, cum cautela tamen, si domus erant monasterii, vel si via est intermedia. Dubium est enim an de jure cogi possint? — 44. Fenestræ et quævis alia foramina regularium respicientia in hortum vel clausuram monialium, omnino claudenda sunt. — 45. Fenestræ tam altæ sint, ut ad lumen tantummodo serviant. — 46. Nec tolerari debet quod propter vicinitatem, et correspondentiam fenestrarum moniales possint videre vicinos, vel videri. — 47. Cella vacans assignari debet secundum antianitatem; nec superior potest aliter ordinare. — 48. Et antianitas incipit a die professionis, et non habitus suscepti. — 49. Non obstantibus mandatis superiorum. — 50. Nisi in aliquo monasterio adesset consuetudo immemorabilis, quod cellæ vacantes distribuuntur, et assignentur ad arbitrium abbatissæ et discretarum. — 51. Concedi potest moniali cellam edificare, eaque uti vita durante, vel alia a suis consanguineis ædificata. — 52. Nec debet ab ea removeri pro faciundo valetudinario. — 53. Non potest tamen illam vendere, licet vellet applicare pretium in utilitatem monasterii. — 54. Nisi de licentia sacre congregationis, et consensu monialium. — 55. Neque potest decernere, quod monialis antiana, quæ cellam optare velit, teneatur aliquid solvere; quod servari debet etiam in casu permutationis, ne via fraudibus aperiatur. — 56. Monialium nulli conceditur facultas disponendi de cellis suis post obitum; et tanto minus disponendi de suis bonis, ea relinquendo huic, vel illi moniali. — 57. Moniales non debent dormire associate. — 58. Moniales diebus bacchanalium, nec unquam uti debent habitu virili, neque arma cujuscunque speciei tractare. — 59. Monialibus non committitur clavis custodiae sanctissimi sacramenti, sed penes eum sacerdotem semper esse debet, ad quem spectat cura illud administrandi. — 60. Monialium in monasteriis reliquiæ asservari non debent, sed in exterioribus ecclesiis. — 61. Dies festus titularis, quoties modeste celebretur, non potest monialibus prohiberi ne illum solemnizent. — 62. Prohibetur tamen in ecclesiis monialium cantus simplex vel figuratus musicorum exterorum. — 63. Episcopus prohibere potest, ne in ecclesiis monialium etiam interioribus canatur ab ipsis musica lingua vernacula, quantumvis cantiuncule, et verba spiritualia sint. — 64. Moniales in refectorio communi comedere, et in loco etiam communi laborare debent. — 65. Monialibus prohibetur cibum externis parare, aut esculentia vendere. — 66. Moniales, completo officio, possunt recitare aliquem psalmum, orationem, vel collectam. — 67. Moniales, quæ breviario Romano uti consueverunt, non sunt compellende ad recipiendum monasticum. — 68. Moniales ipse tenentur legere, vel cantare cantu firmo divinum officium, non vero earum capellani. — 69. Moniales nec ad chorum, nec ad professionem admitti debent, nisi legere noverint. — 70. Moniales nequeunt esse commatres, etiam per procuratorem. — 71.

Canes nequeunt a monialibus retineri intra clausuram. — 72. Alia de monialibus ad n. 75.

(1. Moniales tenentur publice in choro officium divinum persolvere, tum ex antiqua Ecclesiæ consuetudine, tum ex statutis fere omnium religionum, tum ex Clementin. 1, *De celebrat. missar.*, ubi præcipitur, quod in omnibus ecclesiis cathedralibus et regularibus, atque etiam collegiatis horæ canonicæ devote psallantur, convenienterque celebretur divinum officium, diurnum pariter atque nocturnum. *Communis*. (2. Moniales choro addictæ, non obligatæ ex vi regulæ ad divinum officium, si absint a choro, tenentur sub mortali ad horas canonicas privatim recitandas ex consuetudine obligante ad mortale. Est jam fere communis, ut docent D. Cajetanus de Alexandris, in *Confessario monialium* c. 8, § 1, quæst. 5; Felix Potestas, tom. 1, part. II, n. 426; Tamburin., *De jure abbatiss.*, disp. 14, quæst. 1, n. 8; Lezana, in *Summa qq. regul.*, c. 22, n. 8, et cap. 23, n. 13; Navarr., *De orat.* c. 7, n. 2; Sanch., in *Consil.*, l. VII, c. 2, d. 3, n. 6; Tamburin., l. II, c. 5, § 1, n. 13; Mastrius, Busemb., Diana, Reginaldus, Stoz, Malderus, Gavanti, Belloch., Portell., Sporer, tom. III *Tract. append. de horis canon.*, c. 1, n. 13, cum pluribus aliis ab ipso citatis, et alii passim; ita ut Reginaldus opinionem contrariam vocet temerariam, Sanchez non probabilem, Diana prorsus improbandam, ut notat La Croix, l. 4, n. 1189, et Fr. D. Martinus archiepiscopus Panormitanus in suo *Pastorali* ad Moniales omnes urbis et diocesis Panormitanæ, 20 Maii 1641 inventam a patre Mendacii, quem citat et sequitur Felix Potestas, *loc. cit.*, num. 429. (3. Unde quamvis moniales Clarissæ non obligentur sub mortali ad talem privatam horarum canonicarum recitationem ex vi regulæ, cum Eugenius IV, constitut. incip. *Ordinis tui*, declaraverit, quod in nullius transgressione excentum, et trihus præceptis contentis in regula prima B. Claræ, « præterquam eorum quatuor, quæ concernunt principalia vota, obedientiæ scilicet, paupertatis, castitatis et clausuræ, et super electione abbatissæ et depositione, peccatum mortale incurrant; » Tamen etiam ipsæ obligantur sub mortali, sicuti omnes aliæ ratione consuetudinis, quia Eugenius IV in dict. constitut. disposuit solum de præceptis et obligationibus, quibus ultra vires erant particulariter ex regula gravatæ moniales Clarissæ, non autem de consuetudine cunctis religiosis utriusque sexus communi, qualis est de recitandis horis privatim: Quis enim auderet dicere, ut recte notat Felix Potestas, *loc. cit.*, num. 429, consuetudinem recitandi horas canonicas privatim obligare religiosos viros et moniales omnes, exceptis Clarissis strictioris regulæ præ aliis? Cum enim in vetustissimis sciri non possit a quo sit orta consuetudo, l. *Si arbiter* 28, ff. *De probat.*, attendenda est observantia quæ declarat hujusmodi consuetudinem obligare. Imo potest observantia constituere jus, et facere, quod id obliget, quod de se non obligat, l. *Quod*

Societas 1, § Quibus; et l. Nulli 3, ff. Quod cuiusque univers. Hinc quamvis non constet, an consuetudo prædicta recitandi divinum officium sit introducta animo obligandi, obligat nihilominus, quia observantia ita declarat et decernit.

(4. Moniales choristæ propter imperitiam donec discant expedite legere, iudicio prælatorum et confessoriorum, vel abbatissarum satisfaciunt dicendo officium laicarum; sic concessit monialibus Clarissis sub cura fratrum minorum degentibus, et per communicationem aliis Clemens VII in *Compend. privilegior.*, verb. *Moniales*, § 20, et refert etiam Tambur. *De iure abbatissar.*, disp. 15, quæsit. 1, n. 10. Insuper Innocentius IV, per bullam 10, apud Pellizar., cap. 6, n. 16, et Felicem Potest., tom. 1, part. II, n. 430; concessit monialibus sub cura Fratrum minorum degentibus, et per communicationem aliis, ut in casu quo ex rationabili causa recitare non possint horas canonicas, satisfaciunt recitando officium sororum laicarum. Causa autem rationabilis erit, si monialis sit nimis agitata scrupulis, si capitis indispositionem patiat, si sit nimis defatigata ex aliquo extraordinario labore, aut extraordinariam aliquam occupationem habeat, et huiusmodi. Sic citati doctores. Vide verb. *Infirmitas*, a num. 10. (6. Moniales in recitando *Confiteor* nihil mutare possunt, neque dicere *Tibi, mater, Vobis, sorores*, sed debent dicere, ut in *Breviario, Tibi, Pater, Vobis, fratres*. Sac. congr. Rit. 18 August. 1629.

(7. Moniales Clarissæ et tertij ordinis, sive sint sub cura Fratrum minorum, sive sub ordinariorum, aut aliorum religiosorum cura, possunt uti *Breviario*, vel Patrum conventualium, vel Patrum observantium: Eadem sacra congr. 30 August. 1687, in *Rubric. particul. Breviar. Franciscani*, n. 141.

(8. Indulgentiæ generatim concessæ ecclesiis Fratrum pariter et monialium, tum in diebus festis sanctorum ordinis, tum in aliis huiusmodi solemnitatibus cunctæ æque obtineri queunt a Christi fidelibus visitantibus ecclesias monialium, quæ subsunt gubernio ordinariorum. Ex decreto sac. congregat. Reliquiis et Indulgentiis præpositæ die 27 Februar. 1673, ad instantiam præfecti sacrarii Apostolici per viam declarationis expedito in rubr. particularib. *Breviar. Franciscan.*, n. 160. Vide verb. *INDULGENTIA*, art. 5, num. 19 et 20.

(9. Moniales ex dispositione concilii Tridentini sess. xxv, *De regularib. et monialib.*, c. 10, debent saltem semel singulis mensibus confiteri, et sacram eucharistiam sumere, ibi: « Attendat diligenter episcopi, et cæteri superiores monasteriorum sanctimonialium, ut in constitutionibus earum admoneantur sanctimonialia. ut saltem semel singulis mensibus confessiones peccatorum faciant, et sacrosanct. eucharistiam suscipiant. » (10. Unde quamvis ex dict. verb. *Admoneantur*, doctores apud Barbosam, in d. concil. Trident., cit. sess. xxv, cap. 10, n. 3, colligant, concilium ibi non obli-

gare sub peccato mortali; Cajetanus tamen, Navarr. Dicastill. et alii, quos refert, et sequitur Clericatus, *De Eucharist. sacrament.*, decis. 49, n. 14, dicunt, moniales teneri sub mortali ad mensuram confessionem et communionem; arg. Clement. *Ne in agro 1, § Sane*, De statu monachor., ubi præcipitur monachis, ut singulis mensibus crimina sua confiteantur, et sacram eucharistiam suscipiant, quam Clementinam comprehendere etiam moniales tenent plures doctores.

(11. Moniales speciali puritate mentis existentes, et ferventiori spiritu pollentes possunt a superioribus seu confessoriiis etiam ad communionem quotidianam admitti; sic expresse sac. congr. conc. 12 Febr. 1679, in decreto circa communionem quotidianam approbato ab Innocentio XI et ad litteram relato sub verb. *Eucharistia*, n. 41. Vide *ibi*, n. 40 et 41. (12. Nullatenus tamen permitti debet in feria sexta Parasceve. Sac. congr. Conc. in cit. decret., et sac. congreg. Rit. 9 Maii 1606, et 19 Februar. 1622.

(13. Moniales nequeunt se facere ascribi in societatis Rosarii, Chordæ, Cincturæ, et huiusmodi. Sac. congregat., apud Pignatell., tom. VI, consult. 85, n. 213, ibi: « *All' arcivescovo di Zara a' 27 d'Ottobre 1593*. Non permetta, che le monache si facciano scrivere tra le consuore delle compagnie del Rosario, o del Cordone, o d'altre. »

(14. Sacra congregatio Concilii censuit in *Placentina* 9 Decemb. 1615 per episcopum fieri posse præceptum regularibus, ne absque sua licentia accedant ad ecclesias monasteriorum monialium pro celebrandis ibidem missis, apud Pignatell., *loc. cit.*, n. 163.

(15. Regulares non debent inservire pro capellanis in ecclesiis monialium, nisi in casu magnæ penuriæ sacerdotum sæcularium, et tunc religiosus deputandus de consensu sui superioris debet esse ætate ac moribus gravis, nec tractare, et loqui potest cum monialibus. Sacra congr. Episcop. in *Sulmon.*, 27 April. 1604; in *Parmen.* 14 Jul. 1607.

(16. Unde, si regularibus ab aliquo testatore reperiatur injunctum onus celebrandi in ecclesiis monialium, tale onus potest, imo et debet transferri ad eorum ecclesiam, vel alibi, prout laudata sac. congr. Episc. rescripsit patriarchæ Veneto 15 Jun. et 8 Augusti 1592, apud Monacell., part. I, tit. 11, formul. 23, n. 2.

(17. Episcopus potest prohibere presbyteris sæcularibus, ne celebrent in ecclesiis monialium exemptarum, et regularibus subjectarum. Sacra congreg. Conc. in *Hyeracen. Visitationis* 26 Januar. 1692, in responsione ad septimum. (18. Capellanus autem sufficit, quod approbetur a superiore monasterii, ut in d. *Hyeracen.*, in responsione ad nonum, apud Monacell., *loc. cit.*, n. 4.

(19. In ecclesiis monialium non possunt sepeliri cadavera sæcularium absque licentia sacræ congregationis et monialium copulativa; sic pluries decrevit sacra congreg. Episcop., et signanter in *Montefeltrinen.* 21 Novemb. 1603; in *Gravinen.* 1 Octobris 1650;

in *Foro Sempronien.* 23 Augusti 1652; et in *Maceraten.* 8 Novembr. ejusdem anni 1652, quæ decreta iterum probavit eadem sac. congregat. Episcop. in *Vercellen.* 18 Maii 1695, non obstante solito, referente eminentiss. cardin. Pamphil., et in *Mantuanæ* 14 Martii 1697, ponente eminentissimo Acciajolo, et in *Camerinen.* 6 Mart. 1713, ponente eminentissimo Corsino.

(20. Licentia sacræ congregationis requiritur etiam pro fabricando in ecclesiis monialium sepulero. Eadem sac. congr. Episcoporum in *Ferrarien.* 13 Jul. 1604. (21. Et concedi solet personis benemeritis, vel cum elemosyna competenti. Eadem sacra congregat. Episcoporum in *Messana* 6 August. 1601 et in d. *Camerinen.* 6 Mart. 1713, ponente eminentissimo Corsino. (22. Et tunc officium facit parochus usque ad portam ecclesiæ, et non ultra. Eadem sac. congr. Episcop. in *una Observantium* 5 Jun. 1615.

(23. Nulla adest prohibitio sepeliendi moniales in ecclesia exteriori, ubi est in usu. Eadem sacra congr. in *una Carmelitarum* 20 Septembr. 1594. (24. Sed ubi non est in usu, debet fieri secreto de nocte, et cum solo sacerdote ac ministris necessariis. Eadem sac. congregat. in *Cremonen.* 15 Mart. 1595. (25. Nec non cum licentia superioris. Eadem sac. congr. in dict. *Carmelitarum* 20 Sept. 1594. (26. Et in omni casu debent moniales deferre cadaver usque ad portam clausuræ. Eadem sacra congr. in *Torcellen.* 14 Decemb. 1618, et in *Astoricen.* 13 Januar. 1623.

(27. Moniales non possunt habere prospectum, nec retinere crates correspondentes in ecclesia presbyterorum sæcularium, sive regularium pro audienda missa, sub prætextu, quod non possint ob illarum paupertatem manutene capellanum; et episcopus, ubi inveniatur adesse, et retineri, debet omnino mandare, quod removeantur. Sac. congregat. Episcoporum in *Trojana* adversus moniales Annuntiæ Foggia, ad relationem eminentissimi Petrucci 27 Febr. 1693, quæ cum parere distulissent variis excusationibus, iterum recurrentibus canonicis collegiæ in quorum ecclesia prospectus in vim concordie retinebatur. Eadem sacra congreg. 16 Novemb. 1696, rescripsit: « Episcopus omnino intra mensem decreta sacræ congregationis exsequatur, et procedat ad destructionem transitus. »

(28. Moniales nequeunt uti confessionario pro locutorio. Sic express. sac. congr. Episc., de mandato Clementis XI, in *Epist. encyclica* sub. 30 Octobr. 1706. (29. Nec etiam possunt uti fenestella communionis ad loquendum cum exteris. Eadem sac. congr. in dicta *Epistola encyclica*. (30. Sub tali prohibitione comprehenduntur confessorii etiam regulares cujuscunque ordinis. Sic declaravit eadem sacra congregat. Episc. 31 Mart. 1707, ut patet in Epistola directa eminentissimo archiepiscopo Mediolanensi impressa in *Synodo Alexandrina*, fol. 539.

(31. Fenestella communionis deservire non potest pro confessionario, neque per

modum provisionis. Sac. congr. Episcop. in *una Burgi S. Domini* 9 Augusti 1601. (32. Ibi ministratur Chrisma monialibus, et aliis in clausura degentibus. Eadem sac. congr. *ibidem*. (33. Item velum profitentibus, et consecratio professis. Sacra congr. Episcop. in *Bononien.* 17 Septembris 1617. (34. Alias debet esse semper clausa fenestellis ligneis interius et exterius. Eadem sac. congr., *ibidem*. (35. Debet esse lata palmo integro, et alta dimidio. Sacra congr. Episcop. in *Pisana* 1618. (36. Et ita restringi, ut non possit ad alium usum deservire. Eadem sac. congr. Episcop. in *Marsicana* 5 Decembris 1610. (37. Clavis fenestellæ communionis debet semper retineri ab abbatissa monasterii. Sac. congr. Episcop. 30 Octobr. 1706, in dicta Epistola encyclica.

(38. Collocutorium nullo modo debet esse in secundo plano. Sac. congr. Episcop. in *Casalen.* 6 Mart. 1612. (39. Neque in Ecclesia. Eadem sac. congregat. Episcop. in *Perusina* 17 Februarii 1587. (40. Moniales nequeunt uti pro collocutorio rota, vel cratibus in ecclesia existentibus. Sac. congr. Episcop. in *Eugubina* 22 Septembris 1651, cum mandato carcerandi illos, qui ibi deprehenderentur in fragranti. Eadem sac. congreg. Episcop. in *Cæsenaten.* 7 Febr. 1653.

(41. Monialium famuli et famulæ habitantes in mansionibus intra atria monasteriorum, tenentur recipere sacramenta ab illis parochis, in quorum parochia sita sunt monasteria. Sacra congreg. Concil. in *Ulixbonen. occidentalis* 19 Septemb. 1722; et jam decreverat in *Leodien.* 14 Aprilis 1685, et in *Spoletana* 19 Aprilis 1691. Ubi etiam, quod ad dictos parochos spectat eos associare ad sepulturam.

(42. Monialis professio irrita est, quando fit postea hermaphrodita. Sac. congr. Conc. in *Spoletana* 14 Martii 1722, in responsione ad primum dubium, quo casu restituenda est ei dos. Ead. sac. congr., *ibid.*, in responsione ad secundum dubium.

(43. Fenestræ particularium claudi debent, si prospectum habeant in clausuram monialium. Sacra congr. Episcop. in *una S. Benedicti* 15 Januar. 1602, et in *Mediolanen.* 6 Martii ejusdem anni 1602, et sæpe alibi. Cum cautela tamen, si domus erant monasterii, vel si via est intermedia: dubium enim est an de jure cogi possint. Eadem sac. congr. Episc. in *Agrigentina* 23 Apr. 1602, apud Nicol. in *Floscul.*, verb. *Fenestræ*, n. 2.

(44. Fenestræ vero, et quævis alia foramina regularium spectantia in hortum, vel clausuram monialium omnino claudenda sunt. Ead. sac. congr. Episcop. in *Amtiensi* 23 Decembris 1603, et in *Neapolitana* 2 Decembr. 1639. (45. Fenestræ tam altæ sint, ut ad lumen tantum serviant. Ead. sacra congr. Episc. in *una Civitatis Castellii* 12 Martii 1601. (46. Nec tolerari debet, quod propter vicinitatem et correspondentiam fenestrarum moniales possint videre vicinos,

vel videri. Eadem sacra Congr. Episcop. in *Nicostrat.* 16 Augusti 1594.

(47. Cella vacans assignari debet secundum antianitatem. Nec superior regularis potest aliter ordinare. Sac. cong. Episc. in *Ferrariensis* 3 Junii 1597; in *Urbinate* 8 Februarii, et in *Januensis* 5 Sept. 1692, et 5 Julii 1693. (48. Et antianitas incipit a die professionis, non habitus suscepti. Eadem sac. cong. in *Paduana* de an. 1608, 5 Julii 1645, in *una Augustinensis Lombard.* 7 Januarii 1660, in *una Observant.* 21 Aug. 1654, et sæpe alibi. (49. Non obstantibus mandatis superiorum. Ead. sac. cong. in *Mediolanen.* 5 Febr. 1601; in *Faventina* 29 Aprilis 1603; in *Aversana* 26 Jan. 1604, et 20 Junii 1648. (50. Nisi in aliquo monasterio adesset consuetudo immemorabilis, quod cellæ vacantes distribuantur et assignentur ad arbitrium abbatissæ et discretarum. Eadem sacra Congr. Episcop. in *Mutinen.* 24 Jan. 1653.

(51. Concedi potest moniali cellam ædificare, eaque uti sua vita durante, vel alia a suis consanguineis ædificata. Eadem sacra Congr. Episc. in *Casertanen.* 2 Jan. 1601; in *Ulixbonen.* 16 Jan. ejusd. anni; in *Mantuan.* 14 Febr. ejusdem anni; in *Mexicana* 31 Maii 1602; in *Eugubina* 15 Dec. 1603; in *una Civitatis angelor. Indiar.* 8 Aprilis 1606, et sæpe alibi. (52. Nec debet ab ea removeri pro faciendo valetudinario. Ead. sac. Congr. Episc. in *Assisien.* 9 Febr. 1624; in *Cesaraugustana* 11 Maii 1635. (53. Non potest tamen illam vendere. Ead. sac. Congr. Episc. in *Mediolan.* 8 Novembris 1625. (54. Licet vellet applicare pretium in utilitatem monasterii. Ead. sac. cong. in *d. Mediolan.* Nisi de licentia sacre congregationis, et consensu monialium. Ead. sac. cong. Episc. in *una Venetiarum* 3 Maii 1647.

(55. Neque potest decernere, quod monialis antiana, quæ cellam optare volet, teneatur aliquid solvere. Ead. sac. Congr. Episc. in *Januensis* 22 Decemb. 1620. Quod servari debet etiam in casu permutationis, ne via fraudibus aperiatur. Ead. sac. cong. Episc. in *Neapolit.* 17 Nov. 1628.

(56. Monialium nulli conceditur facultas disponendi de cellis suis post obitum, sed eæ, dum vacaverint, superiorum arbitrio aliis monialibus in ordine superioribus distribui debent. Sac. Congr. Concil. in *Aversana* 26 Januar. 1604, apud *Barbosam* in *Summa Apostolic. decis.*, verb. *Moniales*, num. 20, et lib. 1 *Juris eccles. univers.*, c. 44, n. 59, ubi dicit, id etiam decisum fuisse in *Mutinensi* 19 April. 1615. Et tantum disponendi de suis bonis ea relinquendo huic, vel illi moniali, cum id sit contra votum paupertatis, ut notant communiter doctores.

(57. Moniales non debent dormire associatæ. Sac. cong. Episc. et Regul. 21 Maii 1615.

(58. Moniales diebus bacchanalium, nec unquam, uti debent habitu virili, neque arma cujusvis speciei tractare. Sac. Congr. Episc. in *Ferrar.* 27 Apr. 1604, ibi: «Prohi-

beant ordinarii, ne moniales monasteriorum, tam eis quam superioribus regularibus subjectorum in bacchanalibus, vel aliis temporibus recreationis, utantur habitu virorum, neque cujusvis speciei armis se accingant; est enim hoc odibile Deo, ut habetur in *Deuter. xxii*, ibi: *Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste feminea, abominabilis enim apud Deum est, qui facit hæc.*

(59. Monialibus non committitur clavis custodiæ sanctissimi sacramenti, sed penes eum sacerdotem semper esse debet, ad quem spectat cura illud administrandi. Sac. cong. Conc. in *Vallisotana* 12 Jan. 1604. (60. Monialium in monasteriis reliquiæ asservari non debent, sed in exterioribus Ecclesiis. Sac. Congr. Conc. in *Faventina* 7 Martii 1617.

(61. Dies festus titularis quoties modeste, et sine abusu celebretur, non potest monialibus prohiberi, ne illum solemnizet. Sac. cong. Concil. in *Hydracensis Visitationis* 21 Jan. 1692, in responsione ad 11. (62. Prohibetur in ecclesiis monialium cantus simplex, vel figuratus musicorum exterorum. Sacra cong. Episc. et Regul. in Decretis generalibus editis sub Greg. XIII, relatis a Pignat., t. VI, cons. 85, n. 98, et in aliis decretis relatis a Barb., l. 1, *Jur. eccles. univers.*, c. 44, num. 61, et in aliis posterioribus relatis a Gavanti, *Manual. episc.*, verb. *Monialium communes leges*, in addit., num. 6; Crispin., *De visit.*, part. 1, § 42, n. 28. (63. Episcopus prohibere potest, ne in ecclesiis monialium etiam interioribus canatur ab ipsis musica lingua vernacula, quantumvis cantiunculæ et verba spiritualia sint, sicuti potest id prohibere in omnibus ecclesiis et oratoriis publicis; non obstante quacunque contraria consuetudine, censuit sac. cong. Rit. in *Hispalen.* 3 Sept. 1695 et 24 Nov. 1696, referente eminentiss. cardin. Colloredo in responsione ad quartum; quia cantus hujusmodi est contra ritum Ecclesiæ.

(64. Moniales in refectorio communi comedere, et in loco etiam communi laborare debent. S. cong. Conc. in *Messan.* 1 Aug. 1603. (65. Monialibus prohibetur cibum exteris parare, aut esculenta vendere, exceptis tamen rebus minimi momenti, pro infirmis scilicet parentibus, ac consanguineis duntaxat. Sac. cong. Conc. 1 Julii 1606.

(66. Moniales, completo officio, possunt recitare aliquem psalmum, orationem, vel collectam, quia hoc non est officio addere. Sac. Rit. cong. 12 Jan. 1600. (67. Moniales, quæ Breviario Romano uti consueverunt, non sunt compellendæ ad recipiendum monasticum. Ead. sac. cong. 6 Maii 1622. (68. Moniales ipsæ tenentur legere, vel cantare cantu firmo divinum officium, non vero earum capellani. Ead. sac. Rit. cong. 11 Maii 1635. (69. Moniales nec ad cuorum, nec ac professionem admitti debent, nisi legere noverint. Sac. cong. in *Girgensi* 22 Januarii 1604.

(70. Moniales nequeunt esse commatres, etiam per procuratorem. Sac. cong. Conc. in *Mediolanen.* 3 Octobris 1787, ubi id prohibuit pro omnibus regularibus. Vide verb. *BAPTISMUS*, art. 7, a n. 41 ad 47, ubi ad id adducuntur canones, concilia et synodi.

(71. Propter inconvenientia secuta ex parvis canonicis, qui voluptatis gratia tenebantur in monasteriis monialium, facta fuit circa id prohibitio generalis, ne amplius inter habeantur, neque masculi, neque feminae. Sac. cong. Episcop. et Regul. in *Neapolitana* 12 Julii 1592; in *Mutinensi* 3 Febr. 1597, et in *Justinopolitana* 22 Septembris 1651.

(72. In monasteria monialium introduci pueros, et puellas tenellæ ætatis vetandum est, ex more Romæ obtinente. *Instit. Eccl.*, 29, § 24.

(73. Monialium et monachorum cohabitatio apud Maronitas usu recepta, prohibetur. Bened. XIV, tom. I, constit. 31, incip. *Singularis*, § 8.

SUMMARIUM.

1. Monitorium quid sit? — 2. Monitoria concedere potest in toto orbe summus Pontifex. — 3. Item episcopi in suis respective diocesis. — 4. Item vicarius generalis episcopi vigore suæ generalis Commissionis. — 5. Item vicarius capitularis sede vacante. — 6. Item vicarius Apostolicus. — 7. Item legati a latere, et nuntii Apostolici. — 8. Talia monitoria nequeunt concedere abbates, alique prelati ordinarii etiam exempti episcopo inferiores, et immediate sede Apostolicæ subjecti, ac nullius diocesis. — 9. Possunt tamen talia monitoria concedere generales religionum, eorumque visitatores, et provinciales pro suis subditis; non vero superiores locales. — 10. Posse autem superiores locales monitoria edere in suis conventibus, non quidem ad finem revelandi pro rebus, aut scripturis deperditis, vel subtractis, sed pro aliis delictis, tenent multi. — 11. Monitoria pro revelandis rebus occultis conceduntur solum in subsidium, quando scilicet deficient probationes, et veritas alio modo haberi non potest. — 12. Monitoria hujusmodi sunt concedenda solum illi cujus interest, non autem aliis. — 13. Hinc, si essent concessa absque petentis interesse, essent revocanda. — 14. Monitoria hujusmodi non possunt concedi pro qualibet parva re. — 15. Hinc Romana Curia non concedit monitoria, nisi sub conditione, quod res perditæ, seu subtracta, ascendant ad valorem quinquaginta aureorum, sive scutorum monetæ, licet fuerint separatim subtracti. — 16. Potest tamen aliqua res in se parva et levis, esse gravis, et non vulgaris in jure ex circumstantiis, ideoque sufficiens ad concedendum monitorium. — 17. Item si plures grave damnum intulerint, non simul, sed separatim, et singuli parum acceperint non pertingens ad peccatum mortale, tunc adest sufficiens causa concedenti monitorium sub pœna excommunicationis obligans singulos ad restituendum, et revelandum. — 18. Monitoria hujusmodi non possunt concedi in criminalibus. — 19. Hinc petenti copias revelationum dari potest juramentum, quod illis non utetur, nisi in iudicio civili. — 20. Et si revelationes contineant infamiam, vel aliquid aliud ex quo oriri possit scandalum, non debent concedi, sed monito detentore, si restituere nolit, repetitis testibus cum juramento poterit excommunicari. — 21. Monitoria hujusmodi non sunt concedenda, quando certa sunt persone. — 22. Monitoria hu-

(74. Anglicanarum virginum a patria ob catholicam fidem expulsarum institutum utile censetur, et episcopis commendatur; earum tamen conservatoria a Sede Apostolica non approbantur tanquam vera monialium monasteria, sed tolerantur. Bened. XIV, tom. III, constit. 7, incip. *Quamvis justo*. Non sunt veræ religiosæ, earumque vota sunt tantum simplicia. Ordinariæ episcoporum auctoritati subsunt, et ab iis confessorios et directores spirituales accipere debent. *Ibid.*, § 13, 14. Superiorissis earum non licet virginem ullam ad professionem admittere inconsulto episcopo. *Ibid.*, § 18.

Alia de monialibus, vide Pignatell., t. VI, consult. 85, per totum; *Barbosam*, lib. 1 *Juris ecclesiastic. univers.*, cap. 44, per totum; *Donatum*, tom. IV *Prax. rer. regul.*, tract. 4, qu. 5, per tot., ubi plurima ad rem afferuntur decreta sacre congregationis, et vide ea, quæ scripta sunt verb. *REGULARES*, art. 1, per tot., et signanter a n. 73.

MONITORIUM

jusmodi possunt concedi, tam ante coeptam htem, quam ea pendente, dum probationum terminus non elabatur. — 23. Monitoria hujusmodi potest promulgare ex officio iudex ecclesiasticus, etiam nemine petente. — 24. Monitoria hujusmodi non sunt concedenda ad instantiam nominatim excommunicati, seu publici, aut notorii peccatoris. — 25. Monitoria hujusmodi publicantur tribus festis diebus, exceptis solemnioribus. — 26. Adducitur modus fulminandi excommunicationem monitorii. — 27. Monitorii vi nemo tenetur seipsum patefacere, aut denunciare. — 28. Qui tamen alienam rem surripuit, tenetur procurare, ut res restituatur domino per fidelem amicum, aut per confessorium. — 29. Non tenetur autem alienam rem restituere, neque vi monitorii, si effectus sit impotens ad solvendum, dummodo habeat animum restituendi cum primum possit. — 30. Neque vi monitorii restituere tenetur, si talem rem retineat in justam compensationem. — 31. Neque scientes hujusmodi detentorem tenentur vi monitorii eum denunciare, si scient eum talem rem retinere ob justam compensationem, aut non restituere ob impotentiam. — 32. Tenentur autem scientes revelare, et denunciare eum, si solum habet impotentiam ad restituendum, seu justum titulum compensationis quoad partem, et non quoad totum. — 33. Item scientes eum denunciare tenentur, si dubitent de justitia compensationis, aut de impotentia restituendi, nisi rationabiliter deponant dubium. — 34. Nemo tenetur vi monitorii alium denunciare, quando ex denuntiatione prudenter timet sibi, aut suis usque ad quartum gradum, aliquid grave damnum. — 35. Nec quis tenetur ex vi monitorii denunciare conjunctos intra quartum gradum, etiamsi non adsint alii testes. — 36. Qui inhabetiles sunt ad testimonium revelare, præsertim cum deficient aliæ probationes. — 37. Monitorii vi revelare nemo tenetur id quod duntaxat scit sub secreto naturali. — 38. Excipe tamen casus, in quibus agatur de impediendo futuro damno republicæ, aut tertiæ privatae personæ, quod aliter evitari non possit, aut de revelando impedimento occulto dirimente matrimonio. — 39. Nemo tenetur denunciare ea quæ non scit. — 40. Unde nemo revelare tenetur ea quæ audivit a personis levibus, vel ignotis, aut nihil certum scientibus. — 41. Neque quis revelare tenetur, quæ audivit ab eo, qui jam denunciavit. —